

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0772

0770

0776

0766

199

habeo gloriationem, utinam non vanam, in illa Missa, quia
credo, quod in multis annis et forte numquam, aliquis frater
Ordinis Praedicatorum Officium cantaverit in dominico sepulchro,
nisi ego. Et gaudeo hodie, quod mihi tanta gratia est singu-
lariter reservata; utinam me gratum ei reddat, qui ex hoc loco
gloriosus resurrexit a mortuis.

Missa finita discurrimus non sine singultibus et tristitia
per loca sancta templi Domini et eisdem locis cum lachrimis
valefecimus. Durum enim nobis erat, separari a dulcissimis
et nobis dilectissimis locis illis, propter crebras consolationes,
quas circa loca illa sanctissima in eorum deosculazione perce-
pimus. Deosculatis autem locis sanctis exspectavimus dominos
Mauros, quando venirent et nos ejicerent de ecclesia, sicut
prius fecerant semper, sed longe tardabant, de quo mirabamur
et tristabamur, timentes, ne forte ex industria nos captivos
retinere vellent et causam aliquam contra nos excogitassen-
tient. Interea venit ad ostium templi servus Calini majoris (**254 A**)
et per foramen dixit nobis, quod dominus Calinus Trutschel-
mannus noster paratus esset et cum camelis et asinis nos
exspectaret, ut nos de Jerusalem duceret ad inchoandum
peregrinationem montis Synai. Hoc cum audivissemus, im-
patientes magis effecti sumus de nostra diutina detentione.
Dum autem esset prope meridiem, venerunt domini Mauri
clavigeri dominici sepulchri et nos emiserunt. Et statim ad
loca nostra nos contulimus et cum festinantia prandium sum-
simus et ad recessum nos disposuimus modo, quo subjectum
est post descriptionem duorum templorum et civitatis Jerusalem.

P. II, fol. 2 A.

Explicit totalis peregrinatio Jerosolimitana.

Ende

Anfang

